



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Relatio Abbatis Ioannis Persæ de beatissimo Gregorio Romanæ vrbis
Episcopo. Capvt. CLI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

fit diaconus, & continuò vidit Episcopus, & Papa sancti Spiritus aduentum. Sed & velum, quod altari superimpositum erat, vltro sublatum est, textiq; Papam, & Episcopum, & diaconos omnes, qui sancto altari astabant, quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapitus, agnita sanctitate Episcopi ex perspecto miraculo, quàmque falsam calumniam perpessus esset cognoscens, quòd illum ita vexauerat tristis effectus, statuit nò iam amplius per subreptionem quippiam agere, sed cum maturo, consideratoque iudicio, & magna longanimitate procedere.

1 *Ex hoc loco, iunctis quæ infra dicuntur, habes Missam esse sacrificium & sacram Eucharistiam dici hostiam salutarem.*

2 *Vides sanctos sacerdotes descensum Spiritus sancti in celebratione Missæ solitos conspiscere: Quod signum erat, Missam diuinum quoddam, & excelsum esse mysterium. Ex peculiari autem Spiritus sancti impulsu toties verba cõ-erationis reperisse credendus est Episcopus, aliàs peccasset.*

Relatio Abbatis Ioannis Persæ de beatissimo Gregorio Romana vrbis Episcopo.

CAPVT. CLI.

Perreximus ad Abbatem Ioannem Persam, narrauitque nobis de magno Gregorio beatissimo Romanæ vrbis Episcopo dicens: Cũ iuisssem i Romam, vt 2 adorarem ad sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, staremq; die quadam in medio Ciuitatis, audio Papam Gregorium per locum illum transiturum. Cogitauit itaq; adorare illum. Cũ autem prope me esset Papa, videretq; me progredi, vt adorarem illum (loquor Deo teste, fratres) primus ipse prostravit se humi coram me, neque ante surrexit, quàm me primò surrexisse cerneret. Et

cū multa humilitate, salutans me manu sua tria numismata tradidit, iubēs mihi dari quę erant necessaria. Glorificaui itaque Deum, quod tantam illi contulerat humilitatem, & misericordiam, & charitatem ad omnes.

1. *Ecce peregrinationem ad Urbem Romam adorationis causa.*

2. *Ut adorarem ad sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Vel, adorarem, capere pro venerarem, nam solum Deum adoramus, & Gręcismus erit; quem modum loquendi etiam in scripturis sacris reperimus multas; aut expone, ut adorarem Deum iuxta sepulchrum Sanctorum.*

Vita & dicta Marcelli Scitiota Abbatis monasterij Monidion.

C A P V T C L I I.

Accessimus ad Abbatem Marcellum Scitiotam in Monasterium Monidion, volente que senior prodesse nobis, narrauit, dicens: Quando eram in prouincia mea (erat autem ex Apamia) auriga quidam illic erat, nomine Phileremus. Quadam ergo die cum superatus fuisset, surrexerunt qui ex parte eius erant, clamantes: Phileremus coronam in ciuitate non accipit. Cū itaque venissem postmodum in Scitim, si quādo me pulsaret cogitatio mea, ut recederem in ciuitatem, aut villam, continuo dicebam in me ipso: Marcelle, Phileremus coronam in ciuitate non accipit. Et Christi gratia ista cogitatio fecit, ut

1. Sciti non egrederer per annos triginta quęque, donec venientes barbari apprehenderunt, & vendiderunt Pentapoli, Scitimq; desolauerunt.

ID E M Abbas Marcellus quasi de alio seniore morante in Sciti (ipse autem erat) narrauit dicens, quod nocte quadam surrexit, ut